XII. 2

Congregationis Missionis Presbyteror in semin. Stradomiensi: Conclusiones theologicae pro disputationibus publ. propositae. 1764.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ,

Partim ex Scripturis partim ex Historiis partim ex Theologia, eaque tam ſcholaſtica tam Dogmatica tam Morali.

EXCERPTÆ,

Pro Diſputationibus Publicis

PROPOSITÆ.

In Seminario Stradomienſi Presbyterorum Congregationis Miſſionis.

Anno MDCCLXIV. *diebus Maji.*

CRACOVIÆ
Typis Seminarii Epiſcopalis Academico Diœceſani.

Non inperſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione veritatis. 1. ad Corinth: cap. 2.

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ,

DE RELIGIONE.

I.

CUm fides à Religione pendeat, utpote officium creaturæ adversùs DEUM, quod Religio imperat, de Religione quædam præmittenda duximus. Religionem existere negabit forte impius sed eadem fronte, qua DEUM ipsummet tollit, qui principia apud ratione utentes inconcussa dubio quatit, evertitque: quinimo quod admittenda sit Religio revelata, dubitet Deista? nos esse admittendam necessario profitemur. Sed quænam a DEO revelata sit præ aliis, quæ multæ numerantur? nostra Christiana ejusmodi est: quam JESUS Christus instituit, docuêre Apostoli, confirmavêre miracula, testatur sanguis Martyrum, quam probant oracula Prophetarum. Prophetia namq; veritati Religionis asserendæ quam maxime confert. Hæc sola vera, sola divina, sola credibilis evidenter. Habet namq; hæc Religio seu doctrina evidentiam suæ credibilitatis maximam ex motivis credibilitatis ita ut major esse nequeat infra evidentiam simplicem. Adeo ut merito dicatur: Domine si error est a te decepti sumus. (a)

EX SCRIPTURA.

II.

REgula fidei est multiplex, sed inanimata est duplex; scriptura & Traditio. Scripturæ libri nulli sunt supposititi prout oblatrabat, Faustus Manichæus, sed genuini, neque corrupti, saltim quo ad partes substantiales; Omnes Authoritatis Divinæ, cum à DEO omnes inspirati sint: Omnes inquam qui in Canone Concilii Tridentini conti-

 nen-

(a) *Richard: a S. Vict. lib, 1. de Trinit. cap. 2.*

nentur; etiam Tobias, Ester Sapientiæ &c. Tam Protocanonici, quam etiam Deuterocanonici; ex quibus Job, Judith veram historiam continent quamvis ambigant plurimi: Libri Protocanonici, qui in Canone hebræorum continentur, linguâ hebraicâ scripti erant, hæc enim hebræis erat vernacula & cum mundo nata; Integer Pentateuchus a Moyse qui primus in Orbe scriptor. Eosdem libros post solutam captivitatem in excidio Hierosolimæ reparavit Esdras & characteribus hebraicis [illegible]gavit Chaldæos Judæis tunc usitatos, non de novo per quadraginta dies pro ut testatur Autor libri quarti Esdræ (quem librum apocryphum putamus propter ingentes fabulas quibus scatet, sicut & tertium) nam nunquam probari potest in illo excidio omnia exemplaria interiisse, sed ex Autographis hebraicis adornavit, versionemq; fecit fecitque sine afflatu spiritus Sancti.

III.

SCripturarum historiæ, quam continent, si non singula saltim aliqua puncta attingere Viro Theologo quam operosum tam utile. Cum enim plurima facta historica, cum plurima loca ob obscuritatem suam controversiis subjaceant, ap[illegible]ire quid nobis de iis visum sit, quemadmodum in aliis controversiis fieri solet, quid teneamus? quam partem amplectamur utile id fore tam aliis quam nobis dubitaturum neminem spero.

IV.

QUa anni parte mundus conditus est? plerique vernam tempestatem præferunt alii ad autumnum creationem mundi trahunt ita Cyrillus, (b) utrique parti sua favent momenta sua Authoritas, Prima tamen ob majorem suam veri similitudinem arridet nobis magis. Sex dies intra quas condita est hæc universa machina cum omnibus in ea spectabilibus rebus naturales esse. S. Augustinus cujus doctrinam summo studio prosequimur hanc sententiam defendi posse concedit, (c) quamvis ipse oppositam affirmaverit: secundum quem distinctio dierum creationis mundi sumitur non secundùm successionum temporum sed secundum ordinem rerum cognitarum ab Angelis.

V.

DIluvium quod anno sexcentesimo ætatis Noë contigisse videtur in annum mundi millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum

(b) *Cath: XIV. Ambros. lib: 1. Hexam. cap. 4.*
(c) *lib. 4. cap. 28. lib. 40. de Genesi ad litteram.*

tum referendum est. Ubi enim Chronologiæ ratio habetur, textus hebraicus præferendus est Græco 70 Interpretum. Recte enim fieri nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quando quidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio, (d) diluvium hoc quod male Vossius in parte habitata ab hominibus, nec potuisse in universa terra fieri putavit (quamvis universam terram ab hominibus Antediluvianis habitatam non probem) & in universa terra potuisse & de facto contigisse existimo.

VI.

Gigantes olim fuisse præsertim ante diluvium super terram testatur Moyses: *Gigantes erant super terram indiebus illis*, (e) sed quonam sensu intelligendi sunt Gigantes, hic vix determinari potest. Josephus Viros impotentes audacia (f) Philo tradit Paganos, cum hæc legerent reclamasse, ecce sacri libri fabulas continent? quales aliis referentibus irridere soletis, (g) Origenes apud Theoderetum non viros corpore immensos sed scelestissimos quosque vult intelligi. Alii cum Eusebio Cæsariensi, (h) Gigantes apud Moysem ipsissimos esse Dæmones: nos vero nihil ultra credimus ambigendum, fuisse nec infrequentes per omnes terræ regiones Gigantes, Gigantes inquam quorum statura erat duplo vel triplo procerior quàm vulgaris hominum esse solet, horum autem si nullum est specimen nostra ætate id præsertim tribuendum est divinæ ultioni Numinis quæ tot criminum & scelerum monstra solo tantum nomine in mundo superesse, toleravit partim hominum cautioni qui inito omnium fædere, exterminandis perniciosissimis humani generis Adversariis arma intulerunt, (i)

VII.

Annos Patriarcharum a Moyse recensitos non similes nostris, sed menstruos, aut saltim ita breves ut decem ex illis vix unum ex nostratibus coæquarent, existimarunt nonnulli apud Lactantium, (k) ve-

(d) *Aug: lib. 15. de civit. DEI cap. 13.*
(e) *Genesis 6.*
(f) *Lib. 1. Antiquit: cap. 40.*
(g) *de confusione linquarum de Turri Babelica a Gigantibus ædificata.*
(h) *Præpar. lib. 5. cap. 4. & 5.*
(i) *Ita Abbas Tilladit Historicæ Accadem. Tom. I. pag. 125.*
(k) *Lib. 2. cap. 12. & Aug: lib. 12. de Civit. DEI cap. 12.*

verum id nec audiri nec admitti meretur, annos enim veterum Patriarcharum nostris fuisse similes constitisseque 12. mensibus 365. aut 366. diebus, non in uno loco, scriptura ostendit.

VIII.

ABraham defuncto Patre cum esset annorum septuaginta quinque DEUM vocantem secutus, assumpta uxore sua & Loth filio Aran fratris sui, & universis facultatibus, quas comparaverat & animabus quas fecerat, hoc est gregibus ac servis quos acquisierat Charane profectus est in terram Chanaan. De anno natali Abrahami non modica difficultas nasci videtur, comparando versum 4. cap: 12. cum vers: 26. & 33. cap: 11. libri Genesis quam S. Hieronymus in quæstione hebraica & S. Aug. quæstione 25. in Genesim inexplicabilem arbitrantur, verum difficultas subsidet, si inter filios Thare, primogenitus non intelligatur Abraham pro ut non intelligendum primogenitum putat Calmet. (l)

IX.

ANno mundi bis milesimo quingentesimo decimo tertio annis quadringentis & triginta a vocatione Abrahami ejusque in Chananitidem, profectione expletis, primi mensis die decima quinta eduxit populum Israeliticum, Moyses Dux populi ejusdem, idque fecit non sine validis & magnis prodigiis quæ refert liber Exodus. Sed potissimum est illud quod contigit in transfretatione maris Ærythrei. Cum enim extendisset manum Moyses super mare abstulit illud Dominus flante vento vehementer & urente - - - & vertit in siccum divisaque est aqua quasi murus a dextra eorum & læva, (m) Hoc miraculum est tam apertum ut videatur nihil, quod opponi ei possit, contra vero, ea quæ fecit ad flectendam duritiem Pharaonis, vel potius divinitatem eorum? ex primo conspectu, adduci possent ea, quæ fecerè Pharaonis Magi. Minime tamen divinitatem evertere possunt, cum in Moysis digitus DEI appareat in Magorum vero nihil præter præstigias Dæmonis eluceat. Hic Dux Sanctissimus per 40. annos rexit Rempublicam Israëliticam, sub quo cæpit. Hic Legislator præstantissimus leges sanctissimas scripsit huic populo adeo ut nihil non sanctum spirent, nibil quod non rectum præscribant nihil quod non malum prohibeant.

X.

(l) *in caput Gen. 15.*
(m) *cap. 14. lib, Exod. vers. 21.*

X.

TAndem anno quadragesimo ab egressu Israelitarum ex Ægypto duodecimo mense ineunte id est mense Adar jubente Domino mortuus est ætatis suæ centesimo vigesimo. Huic in regimine successit Josue filius Nun qui bella Domini strenue gessit. Inter opera ejus hoc recensetur quod admirationem postulat, assensumque firmissimum meretur, cum & omnes vires naturæ superet & Verbo DEI firmetur nempe quod solem in medio cæli sistere fecerit: Steteruntque sol & luna donec ulciscatur se gens de inimicis suis, (n)

XI.

POstquam decessisset hic Sanctissimus Imperator Gentis Israél per Judices res eorum administratæ sunt, inter quos præcipui numerantur: Gedean, Jephte, Samson. Quorum facta laudibus prosequitur scriptura suis locis, errata tamen quæ nec deerant, nec scriptura tacet. Tale erat (ut cætera transeam) Jephte votum de homine interficiendo in proposito, in filiæ unicæ interfectione impletum, indiscretum quidem ardoris militaris fetus, a gravi tamen scelere meretur eximi. Samsonis consvetudo eum scorto mala non haberi non potest, uberibus tamen lachrimis aboleri meruit adeoque hæc errata aut bona fide facta, aut si mala poenitentia deleta indignationem omnem erga eorum Authores cohiberit.

XII.

Pertæsi Israélitæ regiminis Judicum vel potius DEI qui solus eorum Rex hucusque fuit vel æmulari cupientes Gentes, inter quas positi erant, Regem sibi postulare non dubitarunt, obtinneruntque Saulem filium Cis. Regnasse Saul videtur super populum annis 40. ut ex Chronologicis tabulis (quas refert Calmet ad caput librorum Regum) constat, sed difficultatem opponit ipsa scriptura. *Filius unius anni erat Saul cum regnare cæpisset, duobus autem annis regnavit super Israél,* (o) Verum hæc non faciunt quaminus tabulas Chronologicas omittamus, cum hæc verba scripturæ (quamvis non modicè exagitent Interpretes) aliud non insinuent, quam duos annos Saulem regnasse antequam in Concilio tria millia delegisset militum adversus Philistin, ita Vatabulus Grotius Drusius ita Calmet in caput 13. lib. 1. Regum Brevi hic Rex ob præsumptum sacraficium reprobatus est

me-

(n) *lib. Iudic. cap. 10.*
(o) 1. *Reg. cap,* 13. *v.* 1.

(merito miratur quispiam hanc Domini adversus Saulem sententiam, error illius, oculis nostris venia dignus adeo videtur, hostibus circumseptus, à militibus suis derelictus Samuelis adventum desperans, quem jussus erat operiri, rem agit in se ipsa dignissimam laudibus atque pietate, necessitate compulsus sacra facit, nihilominus, quod huic sacrificio Samuel (quem expectare debebat) minime interfuerit rejicitur regnum adimitur posteritati, ac in aliam familiam transfertur. Nisi æquissimam novissemus DEI justitiam ac judiciorum ejus æquitatem, in Saule occulta supponenda esse crimina, quæ illum in tot infortunia injecissent; vel Deus accusandus esset eò (quod nec cogitari potest) quod mortalium scelera suppliciis non æquet, (p) Reprobatus hic Rex adeo in malitia processit, ut minimè dubitaret Decreta Divina immutabilia perturbare, quærendo hostiliter innocentissimum Davidem quem non semel interfecisset nisi DEUS qui in suis, Consiliis perturbari non potest, singulari cura eum fovisset.

XIII.

AD cumulum malorum addidit Rex Saul, quod in angustiis positus occasione belli imminentis cum Philistæis ad Pythonissam recurisset suscitandi jam de mortui Samuelis causâ. Obtinuit quidem ut Samuel surgeret, verùm ad indicandam suam ultimam cladem suorumque, Sancta tamen anima, absit, ut invocationibus Pythonissæ evocata credatur, proxime tandem interiit mortem sibi desperans consciscendo.

XIV.

ADiit Imperium David vita functo Saule ad quod pridem unctus destinatusque fuit, adiit imperium tribus Juda exqua David, quod olim vaticinatus Patriarcha Jacob, & ex quo adiit & sceptrum cæpit, non amisit, donec veniret qui mittendus erat & fuit expectatio gentium. David Rex & Propheta Salomon filius ejus & regia dignitate & prophetica Authoritate sapientiaque cumulatus, cui mundus in mortalibus similem non vidit, uterque maculavit vitam suam crimine ille adulterii homicidiique, hic autem idololatriæ aut favore illius, P..nus quod per fragilitatem humanam admisit, per poenitentiam abluit, alter, utinam certa tam documenta poenitentiæ reliquisset, quemadmodum documenta criminum reliquit,

XV.

(p) *Calmet. in Caput 13. Lib. 1. Regum.*

FAustuncto Salomone, Roboam ob imprudens Consilium causa fuit ut 10. Tribus se se dividerent à tribu Juda sibique alium Regem facerent relicto Roboam in tribu Juda, facta autem illa divisione Tribuum, in Regno Israël nihil boni videre est, semel instituta idololatria altas radices fixit, adeò ut nec verborum vis verorum Prophetarum, qui ad avocandum populum ab ea missi fuêre, nec miracula, nec calamitates publicæ illam curare evellere voluerunt, donec veniret ultima ultio DEI, ad quam perficiendam Salmanazar Rex Assyriæ venit, regnum evertit, populumque in captivitatem duxit. In tam populo malo non defuêre Viri sanctissimi, fuit Vir sanctissimus Elias Propheta, Eliseus Propheta, cui indulgentia cultus Idoli Remman Naamano Syro impertita tribui minimè potest, neque superstitionis nota in resuscitando puero Sunamitidis aspergi, fuit Tobias uterque cujus & gesta, & eximia virtutis ostendit specimina Liber Canonicus dictus Tobias; fuerunt septem millia virorum, qui non curvaverunt genua coram Baal. (q.)

XVI.

MElius Religio elucebat in Regno Juda, ast nec ibi constans fuit veri Numinis cultus, plurimi Reges locos Idolis dedicabant, Idola colebant, filios per ignem traducebant. Non defuêre quidem Reges, qui cultum veri D E I summi restituere nitebantur. Verùm piis sublatis Principibus, impiis non semel non raro solium regni conscendentibus prostrata idololatria in pedes assurgebat. Contigit non infrequenter ut in eos scelestos Reges Justissimus Judex DEUS gravibus calamitatibus animadverteret, aliquos eorum morbis affligendo, in alios hostilem exercitum commovendo. Verum DEUS, cujus natura Bonitas quemadmodum scelera ulcisci plerumque non destitit, ita pœnitentiam suscipere non dedignatus est, stupenda etiam prodigia ad confirmandos eos de sua benignitate non semel faciendo. Deposuit infirmitate Ezechiam, sed postquam hic suorum scelerum pœnitentiam egit, egit benignissimus DEUS, & ad id ut convalesceret, ut prætraheretur vita ejus, quæ de facto succideretur: *morieris tu & non vives.* (r.) nisi lacrymæ pœnitentiæ excuterentur. Quem ut certiorem redderet Isaias Propheta decem gradi-

 bus,

(q) *3. Reg. cap. 19. vers. 18.*
(r.) *4. Reg. cap. 20.*

bus, ſeu decem lineis retrorſum reverti fecit ſolem. Invocans itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achaz decem gradibus (ſ.) miſit. DEUS adulciſcenda Patrum peccata in filios Sennacheribum Regem Aſſyriorum cum 185000. militum. Verùm cum ad pœnitentiam recurriſſet Rex, miſit DEUS unum militem de exercitu cœleſti, qui percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. (t)

XVII.

Receſſit Manaſſes a viis Patris ſui idcirco in captivitatem actus malitiam ſuam non advertit, donec DEUS animadvertiſſet in ipſum, detinuit calamitas, quem proſperitas in omne nefas laxavit. Sub illo Rege contigit ut quod in Libro Judith Canonico legitur, ex quo patet quod *DEUS infirma elegerit ut fortia contereret*, ſed cum ad finem malorum properaſſet in dies iniquitas properavit ad finem, & ultio DEI gravior omnibus, quæ à Viris Prophetis non ſemel repetita fuit; Venit Nabuchodonozor ſub Sedecia iniquo Rege civitatem cum templo evertit, Regem vinculis onuſtum cum Principibus, cum populo Babylonem duxit.

XVIII.

IN eo Nabuchodonozore Rege Chaldeæ juſtiſſima humanæ ſuperbiæ eluxit vindicta DEI, quem ſua felicitate abreptum de illaque nimium tumentem ita proſtravit, ut non ſolùm à ſceptro, ab humana etiam conſvetudine abjectum, ad beſtias amandatum haberi voluit. Mira illa metamorphoſis mirum in modum diſtraxit ſtudioſos ſcripturarum Interpretes. Recepta eſt tamen communi ſuffragio & maximè probata ſententia quam tenet, Hieronymus Theodoretus Meldonatus, Perrerius ſequuntur Nabuchodonozorem DEI vindicis manu percuſſum in phreneſim incidiſſe, in eam nempe morbi ſpeciem quam *Lycantropiam* appellant.

XIX.

POſt 70. annos captivitatis quos prædixit Jeremias, miſertus eſt populi ſui afflicti Miſericors DEUS, deplorantis una cum calamitate peccata ſua, miſertus eſt, per Cyrum Regem liberando illum. Redierunt ergo Judæi in patriam ſuam cum facultate & urbem, & templum reædificandi, verùm hæc facultas finem ſuum non obtinu-

it, uſ-

(ſ.) *4. Reg. cap. 20.*
(t.) *4. Reg. cap. 19.*

it, uſque 20. regni anno Artaxerxis Longimani. Varias vices ſuſtinuit reſpublica hæc, ſub Perſis tributaria fuit, & ſub Syris, donec penitus excuſſiſſet jugum ſub Machabæis, quæ gens poſthac ſibi jura dabat, donec Herodes magnus aligeniena Romanorum auctus viribus, ſceptrum regni eripuiſſet Genti, ipſeque imperaſſet. Sub quod tempus venit deſideratus cunctis gentibus Meſſias CHRISTUS, ex quo illud vaticinium Jacob: *Non auferetur Sceptrum de Juda, nec Dux de femore ejus, donec veniat, qui mitendus eſt.* impletum eſt. Aliquam adhuc umbram reipublicæ habuit gens hæc, donec impleretur oraculum Danielis, donec finem acciperet vaticinium CHRISTI, donec viſa eſſet abominatio deſolationis in loco ſancto. ¿Vindicta enim DEI terribilis quæ tamdiu ſuper populum pendebat, illapſa eſt ſuper illum, ita ut nec Rex, nec Sacerdos, nec templum, nec ſacrificium, nec Monarchia ex hoc [apparuit, nec nunc videtur, nec videbitur unquam.

XX.

SCripturæ Sacræ ſenſum duplicem agnoſcunt ſaltem Orthodoxi. Myſticum qui per res verbis expreſſas ſignificatur & Literalem, qui ex verbis vel inpropria, vel impropria ſignificatione acceptis colligitur primum, obſcurum eſſe diffitetur nemo, clarum & apertum alium plane ubique affirmaret nemo etiam Lutheranorum ſi attenderet benè & ad verba ſcripturæ quæ id inſinuant & ad ſenſus ſingulos, quorum plurimi obſcuritatem non immodicam continent, vel ſi bona fide vellent loqui, qui obſcuritatem ſubtrahere a ſcripturis nituntur. Quis enim non videt figuratas locutiones continere ſcripturas? quis non percipit hebraiſmos? (eſt autem hebraiſmus cum verſor latinè vel græcè vertendo modum loquendi ſequitur hebraicum a legibus quandoque latine Grammaticæ devium, Petrus Annatus (n) tam autem figuratæ locutiones quam hebraiſmi apti ſunt obſcuros facere ſenſus, eoſque revera pariunt.

XXI.

EXtare hucuſque codices tam hebraicos, qui fontes dicuntur reſpectu omnium quo ad vetus teſtamentum verſionum, quæ ex illis factæ ſunt: Quando quidem ubique non deſunt Judæi per ſcripturas ſuas teſtimonio nobis ſunt, prophetias nos non finxiſſe de Christo, (x) tam græcos qui fontes ſunt reſpectu ſcripturarum novi te-

 ſta-

(u) *Art. 9. in appendice ad Theologiam poſitivam.*

(x) *S. Aug. lib. 1. de Civit. DEI cap. 46.*

ſtamenti, quamvis autem nec ita eſt purus hodiernus textus hebraicus, nec ita purus græcus ut errata plurima non præſeferant, abſit tamen ut vel hebræos inſimulemus ſtudioſæ depravationis in fontibus veteris teſtamenti vel græcos ſtudioſæ depravationis in fontibus novi teſtamenti Adjecta quidem ſunt textui hebraico puncta Maſſoretica circa quintum Eccleſiæ ſæculum vel ut cenſet Thomaſſinus in gloſſario hebraico circa octavum Ecclesiæ ſeculum. Hinc nec Moysi adscribi poſſunt nec Eſdræ prout comminiſcuntur, Judæi, quæ puncta quamvis lectionem textus mutare videantur textum tamen non corrumpunt utpote extrinſeca textui. Adinventa eſt Cabala de qua multa Judæi qui vento & chymeris paſcuntur, venditare ſolent. At ut ingenuè dicam, ex hodierna Cabala cui Judæi toti addicti ſunt, nihil ſani hauriri poteſt, vana quippe myſteria in ſyllabis punctis & apicibus ſacrarum ſcripturarum expiſcantur, ſed potius oleum & operam perdunt Judæi otioſi.

XXII.

Verſiones ejuſdem ſacræ ſcripturæ, variis linquis adornatæ ſunt: quælibet enim natio ad fidem converſa, ſacram ſcripturam ſuâ linquâ ſibi loqui voluit; hinc natæ ſunt. Arabica, Æthiopica &c. Sed celeberrimæ ſunt duæ Græca & Latina: Græca multiplex in uſu fuit, ſed præſtantiſſima omnium fuit ſeptuaginta Interpretum utpote ab Apoſtolis ipſis uſurpata. Facta autem hæc verſio à ſeptuaginta duobus Viris hebræis ex ſingulis tribubus per ſex ſelectis optime tum in hebraica, tum in græca linqua verſatis, anno ante æram Chriſti 291. quo tempore nulla creari aſſentationis erga eundem Chriſtum invidia, ejus authores nullius accuſari ignorantiæ, quod Doctores eſſent & Principes Synagogæ, doctrinæ Moſaycæ veluti depoſitarii Facta eſt ſub gentili Rege Ægypti Ptolomæo Philadelpho unde credituris gentibus per Dominum libri quos gens Judæa cæteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, miniſtra Regis Ptolomæi poteſtate ante proditi ſunt; (y) locus hujus laboris fuit inſula Pharos prope Alexandriam Urbem Regiam Ægypti. Effectus hujus laboris, verſio totius veteris teſtamenti, ſi excipias, ut pluribus placet libros Machabæorum. Quod ab Ariſtea de librorum numero Demetrii, Phalerii ſupplicatione pro Judæis in captivitate detentis, ipſo Philadelpho refertur, fabulam ſapere videtur. Quod ab Epiphanio, Ju-

ſtino

(y) *Aug. cap. 15. de doctrina Chriſtiana & ſerm. 68 in Joan.*

ſtino de cellulis aliisque hujus hiſtoriæ circumſtantiis omnia innituntur Ariſteæ fabulis, qui forte non unus, ſed duo erant non diſſimile ſibi fabulatores; proindeque a nobis non probantur. An autem afflante Spiritu Sancto hoc opus perfecerint prout viſum fuit aliquibus etiam Patribus? nobis id perſvaderi non potuit, cum & Sanctus Hieronymus aliter intelligat & in aliquibus locis infirmitatem humanam præſeferant. Magnæ tamen Authoritatis fuit, tum exeo quod in ſubſtantialibus cum Originali conveniat, tum, ex eo quod ab Apoſtolis uſitata fuit. (z)

XXIII.

HÆc verſio in uſu fuit temporibus Apoſtolorum, ſed cum Religio magis propagaretur Romano prætertim in imperio, cujus dominatio vix non in totum ſe extendebat orbem, cui maxime omnium latinus ſermo vernaculus fuit brevi factum eſt, ut ſacri libri, maximum Religionis monumentum, pro Apoſtolorum tum Diſcipulorum zælo pro veneratione ſacrorum librorum, latinis literis traderentur: factumque eſt ut multæ verſiones latinæ haberentur, ſed potiſſimum celeberrima fuit Itala, quæ vocatur vulgata antiqua, ab aliquibus Apoſtolorum Diſcipulis adornata, ad normam ſeptuaginta Interpretum (non unum enim Authorem ſeu Verſorem refert.) Hæcque fuit in uſu, donec Sanctus Hieronymus græcis hebraicis latiniſque linquis inſtructus, ſub exitum quarti ſæculi novam feciſſet latinam quæ vulgata eſt. Inchoavit autem Romæ hoc opus ab emendatione Pſalterii ſub Damaſo Papa ad normam 70. Interpretum, aliam pariter ad normam 70. Interpretum fecit ejuſdem Pſalterii, cum Bethleem moraretur rogantibus Paula & Euſtochio, Origenem imitando. Tandem ex hebræo omnes libros veteris teſtamenti latinè vertit, exceptis ſapientiæ, Eccleſiaſtico Machabæorum utroque, novum vero teſtamentum emendavit quidem ex græco ſed in novum non tranſtulit. Hæcque ſola vulgata in Eccleſia latina in uſu eſt, a Patribus Tridentinis merito authentica declarata; cum autem talis declaratur, non in eo ſenſu quod præferatur à Patribus Tridentinis hebraicis & græcis fontibus, ſad in eo quod in iis quæ ſunt alicujus momenti & quæ ſubſtantiam ipſam ſpectant a primario & vero ſcripturæ ſenſu non diſcrepèt.

DE

(z) *Hieronymus Epiſtola 101.*

DE TRADITIONE.

XXIV.

SCripturam hanc licet non integram, nec cum omnibus libris, nec libros, cum omnibus capitibus, quinimo capita truncata aliquot non semel versibus pro unica & sola fidei suæ regula habere volunt Lutherani & Calvinistæ, Ariani Macedoniani Eutychiani &c. nullasque præterea Traditiones divinas admittere volunt; si quas proinde objicere illis nitimur, rident respuunt, oblatrantque quam autem im merito? Utinam saperent & intelligerent? meliusque saluti suæ providerent. Scriptura quam regulam fidei tuentur, docet aperte Traditiones; quinimo ipsæmet scripturæ nequeunt pro veris haberi sine traditione. Qua ergo pertinacia pertinaces erunt traditiones negando? contra eos nos profitemur dari traditiones, easque ejusdem authoritatis esse, qua scripturæ pollent, tuemur credimusque. Quæ autem Regulæ sint dignoscendi veras Traditiones a falsis? quinque proposuit Bellarminus, (a) quinque nos eum sequendo numeramus. Quod universa Ecclesia tenet tanquam fidei dogma, nec in scriptura invenitur; quod a solo DEO institui & statui potest, & tamen universa Ecclesia tenet, nec in scripturis reperitur, ad Apostolicas traditiones reducendum est: quod omnes Ecclesiæ Patres asserunt, qui seorsim scripserunt, ex Apostolica traditione assumptum; quod Ecclesia particularis docet, inqua integra & continuata est successio Episcoporum ab aliquo Apostolo; quod ab universa Ecclesia semper observatum fuit illud ab Apostolis traditum esse merito credatur, quamvis etiam ab Ecclesia institui potuerit.

DE ECCLESIA.

XXV.

TErtia fidei Regula sed animata est vera Ecclesia, notis suis à quavis alia quæ Christi non est distincta adeo, ut cui constat de existentia alicujus Ecclesiæ Christi per eas evidenter ostendi possit, quis ex omnibus cœtus, qui Christi doctrinam tenere se profitetur, sit vera Christi Ecclesia. Visibilis est, atque etiam prout visibilis perpetua, tam si sumatur pro universitate fidelium nunquam errare potest in rebus fidei & morum, ita ut quidquid fideles omnes te- nent

(a) *De Verbo DEI non scripto lib. 40. cap. 9.*

nent de fide, fit neceſſario de fide qu m ſi ſumatur pro univerſitate morali Paſtorum infallibilis eſt tam in rebus fidei & morum quam circa facta dogmatica, ſeu de ſenſu authorum & librorum infallibilis eſt. Datos (namque) in Eccleſia Paſtores & Doctores ut non ſimus parvuli fluctuantes ne circumferamur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris, (b) ac proinde Eccleſiæ judicio circa quæſtiones facti dogmatici interna mentis adhæſio præſtanda, nec religioſum (ut vocant) ſufficit ſilentium, talem etiam poſtulant decreta Eccleſiœ quæ plures propoſitiones in globo damnant, cum ejuſmodi decreta dogmatica omnino ſint.

XXVI.

INfallibilitas Ecclеæ viſibilis ut activa ſit ſeu judicii neceſſarium omnino eſt, verum cui conveniat hæc infallibilitas? quæſtio eſt inter nos ab una parte ex altera Lutheranos Calviniſtaſque, ſecundum nos Orthodoxos neque convenit ſcripturæ neque ſpiritui privato prout volunt Lutherani & Calviniſtæ, neque Principibus ſæcularibus, neque multitudini fidelium; cui ergo? convenit Romano Pontifici accedente conſenſu ſaltem tacito Epiſcoporum: convenit corpori Epiſcoporum Romano Pontifici conjunctorum, tam congregatorum quam in ſuis ſedibus reſidentium, tam in eo caſu inquo omnes conſentiunt quam in eo caſu inquo aliqui diſſentiunt; ſolis adeo; ut nullatenus requiratur conſenſus laicorum quam ſimplicium Preſbyterorum. Hienim & ſoli ſunt judices infallibiles controverſiarum in materia fidei & morum. Hinc Bulla ſeu conſtitutio in materia fidei vel morum edita a ſummo Pontifice, accedente conſenſu tantùm tacito univerſitatis moralis Epiſcoporum eſt infallibilis; Hinc conſtitutio in materia fidei vel morum edita ab univerſitate morali Epiſcoporum cum Romano Epiſcopo conjunctorum ſuſcepta ab eodem Epiſcopo Romano eſt pariter infallibilis.

DE PONTIFICE.

XXVII.

CUm Eccleſia ſit cœtus fidelium ſub capite viſibili exiſtentium caput viſibile omnino poſtulat. Tale namque caput viſibile fuit Petrus quoad vixit: a Chriſto namque caput inſtitutus eſt, a quo primatum & juriſdictionem accepit. (c) Tale caput eſt Epiſcopus Romanus,

(b) *Ad Eph. cap.* 4.
(c) *Math. cap.* 16. *verſ.* 18.

nus legitime electus. Cum enim Romanus Pontifex succedat Petro (Petrus namque Romanus Episcopus fuit, Romæ sedem habuit, & ex quo eam Romæ fixit ad mortem non deseruit, (d) Romæ namque martyrium subiit Romæque mortuus est) primatus in tota Ecclesia Petro datus & jurisdictio spiritualis in omnes fideles, tum laicos, tum Clericos tum Episcopos ad Romanum Pontificem jure divino devolvitur. Huncque primatum Romanorum Pontificum si quid præter cætera probat, probat id quod constanter agnovit illum Ecclesia. Hujus primatus sunt quædam consectaria, cujus gratia Romano Pontifici conveniunt ut 1mo. quod sit centrum unitatis & communionis Ecclesiasticæ adeo, ut qui ab ejus communione recedit ab Ecclesia recedat necessum est, 2do. quod sit supra Concilia, 3. quod ipsius judicia circa fidem & mores ad omnes Ecclesias pertineant, suntque irreformabilis & infallibilis Authoritatis, cum sciente nec improbante Ecclesia feruntur, 4. quod ex tota Ecclesia appellatio ad ipsum valeat. Hæcque & cætera, quæ privilegia & jurisdictionem summi Pontificis concernunt, ad Romanum Pontificem ita pertinent ut immerito sedes a Romano Pontifice distinquatur immeritoque a sedente in sedem hæc privilegia ab aliquibus transferantur.

DE CONCILIIS.

XXVIII.

IN Ecclesia ad dirimendas controversias fidei & morum non infrequenter solent fieri ab Apostolorum temporibus Episcoporum conventus, tam generales ad quos totius orbis Episcopi tam Nationales ad quos totius Nationis quam Provinciales, ad quos unius provinciæ solent convocari Episcopi, qui Concilia aut synodi appellantur. Omnium Conciliorum magna reverentia habetur in Ecclesia, sed potissima Oecumenicorum seu generalium, quæ maximæ sunt Authoritatis utpote divinæ. Infallibilia enim sunt, in rebus fidei & morum; Decretaque eorum omnem Ecclesiam obligant. Convocari ad ea soli Episcopi debent tanquam Judices, soli namque Episcopi jure divino jus suffragii decisivi in Conciliis tum generalibus tum particularibus habent: alii etiamsi ad Concilia generalia convocantur, convocantur aut

(d) *Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 20. Hist Eccl. cap. 14. & 15. Dyonisius Coryth. Epp. apud Eusebium Lib. 2. Hist. Euseb. Cap. 24. & 25. Origenes apud eundem Lib. 3. cap. 1. Tertulianus &c.*

aut ut Consultores, aut ut Ministri. Convocandi ad eadem Concilia jus ad Romanum Pontificem spectat, sicut & præsidendi per se sive per suos legatos. Tale namq; jus, primatûs ejus quem habet in tota Ecclesia consectarium est.

De GRATIA.

XXIX.

DE gratia CHRISTI tractando non solum referre nobis incumbit, quid dicendum est de ea, verum etiam & ea quæ maledicta sunt de ipsa, ut ex his, noverimus quid cavere debeamus. De gratia ergo ejusmodi male locuti sunt Pelagiani, sive omnem gratiam libertati providendo, à natura lapsa auferentes sive eam admittendo, eam non ad posse sed ad ad facilius agere requirentes. Ad hoc enim dari hominibus, ut quæ facere per liberum arbitrium facilius possent, per gratiam, ita illorum sensum exponit S. Augustinus. (e) Male locuti sunt Semipelagiani, eam ad salutem non ad initium ejus postulantes, credere quæ de medico prædicantur, desiderare sanitatem & ejus auxilium implorare, tria hæc naturali possibilitati adscribebant (f.) quamvis alii strictiores, qui à Pelagianis longius distabant sola sibi voluntate reservata credendi, cœtera omnia gratiæ adscribebant. Haud meliùs dogmatizavit Lutherus & Calvinus, qui Divinæ gratiæ sive obsequi vel eam repellere in nostra potestate esse positum expresse negarunt, Lutherus namque ait: sequitur nos necessario operari necessario non coacte, de libero arbitrio similia habet Calvinus. Non melius & Michàël Bajus in hac materia scripsit, qui instituta divisione naturæ, in statum naturæ integræ, lapsæ & reparatæ, quæcunque pro unoquoque statu scripsit, docuitque, dissona fidei erant & difformia. Non meliores Jansenii Iprensis Episcopi partes sunt in hac materia, cujus doctrina quod promeruit, id DEO sic faciente consecuta est: & quia condemnationem debitam sibi habuit præsertim, quo ad quinque famosas propositiones, eandem jam obtinuit.

 XXX.

(e) *Lib. de Hæres 88.*
(f] *Cass: collat: 13.*]

XXX.

MIra est inquietudo seu vafritas hominum perversorum, qui ut ea, quæ sibi placent, sustineant, infallibilia oracula infirmare minime dubitaverint, alii enim ut doctrinam Bai per Bullam Pii V. damnatam, à damnatione eripiant, ipsam Bullam per lectionem perversam depravavêre; dicentes quod hæc verba in Bulla Pii V. *quas quidem sententias strictè coram nobis ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pactô sustineri possent, in rigore ac proprio verborm sensu ab Authoribus intento hæreticas - - - respectivè damnamus.* Debeant legi ut comma subjiciatur voci *intenta* non autem voci *possent*, verum id, nisi impudentissimè dici, nemo est qui non advertat; comma ergo prædictum subjici debet *possent*, non autem voci *intento*.

XXXI.

ALii ut Ianseniani, ut Vaticanum fulmen eluderent quæ subterfugia non quæsierant? quinque propositiones in libro Jansenii non reperiri, nec in sensu Jansenii damnatas; sed frustra, itum enim est obviam huic subterfugio, tum per Episcopos Galliæ, tum per Alexandrum VII. Juramentum promovendis ad omnes grudus præscribendo ad oppositum asserendum ejusmodi subterfugio. Ejusmodi Juramentum eludere conati sunt alii, retinentes animo Jansenii sensum, obsequiosum silentium præstando, verum huic subterfugio, ipsimet rigidiores Janseniani sese non submiserunt. Quidam illorum, sive omnes pacem jactant Clementis IX. cum quatuor Episcopis initam distingentibus jus à facto, & eandem distinctionem sustinentibus, verum Clementis agendi ratio oppositum ostendit. Cum nova & gravia isthinc accepimus documenta veræ & totalis obedientiæ vestræ, quâ & formulario sincerè subscripsistis damnatis absque ulla exceptione, aut restrictione quinque propositionibus in omnibus sensibus, in quibus à Sede Apostolica damnatæ fuerunt tribuere vobis volumus, hoc Paternæ benevolentiæ nostræ argumentum hæc Clemens IX. (g) luculenter ista ostendunt quomodo præfatus Pontifex se gesserit adversus eos Episcopos.

XXXII.

RElatis illis quæ malæ dicta sunt de Gratia, restat referendum quid dicendum sit de ea, antequam quidquam à nobis dicatur naturam humanam imo in duplici statu spectemus necesse est; in statu naturæ inno-

(g.) *In Brevi dato ad Episcopos quatuor, anno 1669. die 19. Januarii.*

innocentis, & in statu naturæ lapsæ, in primò fuêre Proto-parentes nostri conditi, in secundo nos omnes posteri Adæ positi conditique sumus. In illo statu conditus fuit homo in Gratia, ordinationem accepit ad finem supernaturalem accepitque immortalitatem dono DEI & integritatem. Hinc quod potuit condi sine ordinatione ad finem supernaturalem, sine integritate & immortalitate apertissimum est, Gratia enim est non naturæ debitum, tàm immortalitas, quàm integritas, quàm exaltatio ad finem supernaturalem. Gratiam habuit ad opera supernaturalia supernaturalem, quemadmodum habet homo gratiam supernaturalem pro statu naturæ lapsæ, sed illius status gratia, dicenda sanitatis, hujus medicinalis: illa dabat posse agere, hæc dat actu agere, illa fuit versatilis, hæc ad actum efficax ab intrinseco, illa determinabatur à voluntate, hæc verò voluntatem determinans & prædeterminans physicè, eis non solum dat adjutorium quale primo homini dedit sine quo non possunt perseverare si velint, sed in eis operatur & velle. (h.)

XXXIII.

A Felici illo statu, in quo constituti erant Proto-parentes nostri dilapsi, omne tum sibi, tum posteris suis Divina gratia acquisitum ad Cœlestem hæreditatem jus amiserunt. Odium iramque tum in se, tum in posteros suos traxerunt, totusque homo per prævaricationis offensam secundùm corpus & animam indeterius est commutatus (i.) tam in sufficiens sibi: ut meritò quæratur utrum possit sine gratiæ adjutorio opus moraliter bonum naturale efficere etiam facile? quod quidem quamvis concessero, dubitare tamen non immetito possum sitne illud undequaque bonum. Quodsi sic in naturalibus operibus in sufficiens ob vulnus peccati, quanto minus in supernaturalibus valebit? hinc neque inchoare, neque perficere potest opus supernaturale sine gratia, neque fide credere, neque orare, neque vincere tentationem, neque observare præcepta salutariter potest sine gratia; (*) & ut hæc præstet, robustiori longe indiget auxilio quam indigebat pro statu naturæ innocentis, causa enim tanti auxilii magna infirmitas naturæ est. Per peccatum quidem Proto-parentum nostrorum multa amisimus prout confessi sumus non tamen granditate pec-

(h.) *Aug: cap: 12. lib: de corrept: & gratia.*
(i.) *Trident: sess. 5. Canone 1mo.*
(*) *Sive ergo parum, sive multum sine illius gratia præveniente, adjuvante, cooperante fieri non potest, sine quo nihil fieri potest, ait S. August.*

cati primi Parentis libertatem indifferentiæ amisimus, quæ sola est vera libertas (k) siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit - - - anathema sit.

XXXIV.

GRatiam efficacem dari pro præsenti statu naturæ lapsæ, quis nostrum negare possit? nemo eam in dubium revocat contradicit nemo, sed instituitur celeberrima quæstio in scholis, quinimo per non paucos annos agitata in Congregationibus de auxiliis, unde efficatiam suam repetat gratia efficax, an à congruis circumstantiis, an etiam pro priori ad consensum & independenter à circumstantiis congruis sit efficax? seu ab intrinseco, seu à natura sua? sive primum dicatur, sive secundum, perinde est: lis sub Judice, controversia indecisa, definire in præsenti materia, nec possumus, nec valemus, quod S. Mater Ecclesia definire noluit, condemnare nullam audemus cum utramque Ecclesia doceri agitariq; permiserit. Sed quemadmodum lances pro ratione ponderis inclinatur, ita nos pondus rationum sequimur, & cum majus pondus pro parte gratiæ ab intrinseco efficacis animadvertimus, talem admittendam esse judicamus.

XXXV.

EXplicatur hæc efficacia gratiæ per delectationem victricem superantem gradus oppositæ concupiscentiæ à pluribus, & quidem viris gravissimis bene de Ecclesia meritis, ab aliis id damnatur respuitur, Ego nec damnatum id video, nec condemnandum puto. (*)

XXXVI.

(k) *Trid. sess: 6. canon. 5. S. Aug: lib. 1. contra 2dam Epist: Pelag: cap. 2.*

(*) Quinimo age, vastissima Augustini opera percurre, tractatus omnes vel obiter, vel ex professo de illa Angelorum & Adami gratia disputat, diligenter evolve: ne semel quidem nuncupatam ab eo invenies spiritum Charitatis, inspirationem charitatis, charitatem per Spiritum Sanctum diffusam, dilectionem, inspirationem dilectionis - - - svavitatem, delectationem, jucunditatem voluptatem. (*l.*) Imo cum etsi cœperit non latere veritatis via & cognitum fuerit quod appetendum est, non ideo sit consequens, juxta S. August: monitum, (*m*) ut etiam appetatur, nisi tantum delectet, quantum diligendum est; nisi gratia per Spiritum Sanctum inspirata ejusmodi fuerit, ut per ipsam & innotescat veritatis via, & plus ista delectet, quam quod impedit ne suscipiatur, & bene vivatur.

(l.) *Lib. 8. Disp: 3. cap. 16. num: 3: Stephanus Dechampo Bituricensis.*

(m) *De Spir: & lit: cap. 3. 9. 35. & lib. p. de peccat: merit: & remiss, cap. 17.*

XXXVI.

PRæter gratiam efficacem, de qua ſupra locuti ſumus in hoc ſtatu naturæ lapſæ, per CHRISTUM reparatæ, datur gratia verè ac merè ſufficiens, quæ quamvis ad effectum datur, caret tamen eo, ſed unde? ex culpa voluntatis humanæ ſolius. Hæc gratia ſufficiens datur fidelibus juſtis ad ſervanda omnia Præcepta etiam tunc cum illa violant, adeoque nunquam dici poteſt, quod aliqua DEI Præcepta, hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia, neque deeſt illis gratia quâ poſſibilia fiant. Peccatoribus quoque non obduratis datur ejuſmodi gratia ad converſionem. Verum de obduratis, infidelibus negativis, infantibuſque tam in utero materno decedentibus, quàm poſtquam progeniti fuerint, antequam illis Baptiſmus applicetur, decedentibus, quid dicendum à nobis ſit? Utrum eis talis gratia applicetur? an penitus eâ deſtituantur? Anceps ſum, fortiter enim alii propugnant, tales deſtitui omni gratiâ, alii talibus non deeſſe gratiam. Perſpecta mihi ſunt utriuſque partis momenta, quæ pro utraque parte contemnenda non ſunt. Suſtineo tamen communiorem, quæ tales veretur omni gratiâ ſpoliare.

XXXVII.

JUſtificatio hominis eſt inter opera gratiæ non poſtremum; hæc non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed eſt ſanctificatio & renovatio interioris hominis (n.) Cauſa ejus formalis eſt Juſtitia DEI, non quâ ipſe Juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur; ſed & verè juſti nominamur & ſumus, (o.) dum juſtificatur impius non teguntur tantum peccata ejus, ſed verè remittuntur ac delentur, (p) quamvis verò juſtificatio ſit prorſus gratuita, adulti nihilominus juſtificari nequeunt abſque prævia diſpoſitione, ut diſerte docet Concilium, (q) non ideo tamen non juſtificantur gratis, cum nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationem promerentur. (r.)

XXXVIII.

(n) *Tridenti ſeſſ. 6. cap. 7.*
(o) *Trident: ſeſſione eadem, eodem capite.*
(p) *Trident: ſeſſ. 5. Decreto de peccato originali.*
(q) *Trident: cap. 4. ſeſſ. 6. diſponuntur ad juſtitiam.*
(r.) *Trident. ſeſſ. 6. cap. 8.*

XXXVIII.

JUstificati satagere debent omni ope atque opera, non tantum ut quod habent summa diligentia conservent, verum etiam ut meliores evadant. Potest enim homo gratiæ auxilio adjutus non modo bona opera edere, sed etiam DEI Præceptis obtemperando, mercedem vere mereri. Duplex est meritum: unum de condigno, alterum de congruo, quodlibet meritorium opus bonum esse debet supernaturale, liberum ab homine viatore editum, ut ex condigno præmium obtineat, requiritur præterea, ut ab homine justo procedat, sitque ex parte DEI mercedis promissio, potest homo justus sibi mereri de condigno gratiæ augmentum, æternamque felicitatem, non tameu gratiam primam vel perseverantiæ donum. Alteri mereri gratiam, aut sibi reparationem post lapsum de condigno, alienum est à doctrina recta.



CON-

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ DOGMATICO MORALES.

EX TRACTATU De ACTIBUS HUMANIS.

I.

OMne agens intellectuale propter finem ut agat oportet, omnino enim dedecet naturam intellectualem utpote capacem cognoscendi rationem finis, & proportionem mediorum ad finem, non proposito fine tanquam brutum vel authoma operari. Quinimo omnes naturæ expertes cogitationis à suo Authore determinatæ sunt ad certum finem referibilem ad Eum, Qui omnia propter semetipsum operatus est. Quò magis homo quem DEUS similem sibi condidit, paulò minùs ab Angelis minoravit, ad supernam Beatitudinem elevavit, quâ quia excidit, eidem per merita CHRISTI restitutus est, quà ratione pollens semper finem honestum, quà Fidei lumine irradiatus finem ultimum, qui est Deus Noster Gloriosissimus intenturus est. At ut actio ex omni parte sit bona, non est necesse, ut fiat ex motivo charitatis etiam initialis strictè sumptæ. Hic nemo non videt, quantæ necessitatis est scientia moderari actus humanos, qui sunt semina æternitatis, media necessaria quæ si bene ponantur; ultimus finis habetur, si male; ab eo deviatur. In id nobis incumbendum est, ut actus humani cognosci possint, & ut par est, sanctificari.

II.

ACtus Humani adeò sunt humani, ut mali vel boni esse non possint, nisi eorum homo sit dominus. Actus ergo humani notio est: Actus ab hominis voluntate liberè procedens. Tametsi voluntas sit facultas cæca, quæ nonnisi ex prævio intellectûs lumine in objectum fertur, sentit tamen unus quisq; ei præcipuè attribuendum esse, quidpuid in actibus boni vel mali occurrerit. Cùm

verò

verò non omnis actus voluntatis laude vel vituperiô dignus sit, operæ pretium est Voluntarium ab Involuntario secernere. Est itaq; Voluntarium: Actus à voluntate procedens, ex prævia cognitione eorum in quibus est actio. Ut actus nostros digna retributio, vel ad pœnam; vel ad præmium comitetur, non modò sufficere Voluntarium *simpliciter*, seu purum; quod fit ex plena voluntatis inclinatione, absq; repugnantia: non modò Voluntarium in se seu expressum; quod in se ipso est volitum, verùm etiam Voluntarium mixtum; quod fit ex voluntatis consensu, sed non sine repugnantia. Voluntarium in causa, quod licet non in se; in alio tamen volitum censetur, quodq; saltem confusè prævidetur, aut prævideri potest, ut talis effectûs causa, minimè non imputabile manet. Ne plùs quàm justum est videamur constringere conscientias, ut effectus, qui ex causa voluntariè posita sequitur, ad culpam imputetur, tria requirimus: 1. ut operans advertat, vel advertere possit, effectum hunc ex hac causa secuturum esse, vel ob connexionem effectus cum causa, vel ob aliqua adjuncta, quæ cum causa talem solent operari effectum. Hinc Nòé non fuit immodestiæ reus, qui nescivit, nec potuit scire vinum, ejusmodi effectûs causam posse esse. 2. ut effectum hunc impedire possit, tollendo ejus causam: hinc mulier lethalem noxam contrahit, quæ etiam sine prava, intentione, ut morem sequatur aperto sinu incedit. 3. ut causam hanc auferre teneatur, vel non ponere: ideo non delinquit Parochus, qui ex Confessionis occasione, contra voluntatem inordinatos motus patitur. Subtilem quæstionem num detur pura omissio? gratiâ exercitii ad Philosophos remittimus. Ad omissionem voluntariam ut sit culpabilis, tria requiri: 1. ut quis potuerit agere: 2. ut debuerit: 3. ut non egerit. Dari ergo voluntariam omissionem, & inculpabilem, ùt indubitatum concedes: imò voluntariam omissionem, cujus effectus licet in se malus, tamen agenti, qui causam ejus impedire potuit non imputatur; haud negabis. Ut si omittas duos rixantes separare, quos quidem separare posses, sed non teneris; quia non posses sine evidenti propriæ vitæ periculo, mors alterius tibi voluntaria non est, etsi ipsa separationis omissio voluntaria fuerit. Cùm Voluntarium duo includat, voluntatis propensionem, & intellectûs cognitionem, ergo à contrario Involuntarium debere censeri illud, quod fit vel contra in-

clinati-

clinationem voluntatis, vel sine cognitione intellectûs. Quia verò propensio hæc, & cognitio aliquando minuuntur, aliquando augentur, inde variæ Voluntarii species exoriri solent. Ut Voluntarium *privativè* videlicet, cùm voluntas aliquid non vult, quod vellé posset. Involuntarium *positivè*, quod aliquid non modò non est volitum, sed etiam est nolitum, & voluntati adversum. Quod vel ita voluntati displicet, ut id nullo modo velit, sive impedire possit, ne fiat, sive non, ut si motus Concupiscentiæ insurgant contra voluntatem toto affectu renitentem, & est simpliciter involuntarium. Quod si voluntati, sub uno respectu displiceat, & ei sub alia consideratione magis placeat, est Involuntarium secundùm quid, quod est tamen absolutè voluntarium. Ut qui sibi ad vitandam miseriam mortem infert.

III.

NEmo sibimet ipsi violentiam, vel meliùs còáctionem propriè dictam inferre potest, cùm nemo simul velle, & nolle queat, sed ab aliquo ab extra agente vim illatam pati cogitur, in contrarium renitente voluntate actu, vel virtualiter. Ideò ad còáctionem atq; violentum non sufficit se habere negativè, alioqui justificatio parvulorum foret violenta, & còácta. Etsi violentia *absoluta* quæ tunc est, cùm voluntas eo omnimodò resistit, quô potest; voluntarium perimat: & eadem quæ dicitur *secundùm quid* minuat; nulla tamen còáctio, sive violentia, nulla vis extrinsecùs illata, efficere unquàm potest, ut actus à Voluntate eliciti sint involuntarii. Et illa quæ fiunt ex metu naturali, & quidem gravi (quæ non nunquam raro tamen ita perturbant hominem, ut tollant advertentiam) ordinariè sunt simpliciter voluntaria in genere liberi, ideo reus pejerans ne dedatur flammis, gravissimè peccat, quod non esset, nisi voluntarietas & libertas subsisterent cum metu. Eadem in genere liberi involuntario admixta esse, factô Synodus Ancyrana & Nicena comprobat, quæ graviores pœnas constituit pro iis, qui spontè, quàm qui cruciatuum metu fidem abnegarunt. At metus ex consideratione pœnarum gehennæ conceptus, qui & voluntatem peccandi excludere potest, in observatione legis ab eo præstita, nihil habet Involuntarii.

IV.

COncupiscentia & si præcedat consensum voluntatis, eumq; alliciat, non tollit Voluntarium, imò ex parte Objecti auget, ad

quod movet, efficitq; ut in illud majori cum inclinatione, ast diminuta cognitione feratur, quô impedit ne mens ab objecto in quod tendit, rapta illectaq; videat injustitiam actûs. Non nunquam cognitionem totaliter supprimit, (a) *sicut contingit in illis, qui propter Concupiscentiam fiunt amentes.* Effectus est voluntatis, quæ in se ipsa liberè ac prævidens, ardorem inflammat, sic verum est, quantò quis majorî Concupiscentiâ peccat, tantò magis peccat, cùm augeat voluntarium & peccatum. Nec dubium est de concomitante, quæ ita sequitur consensum voluntatis, ut ferventiorem in ea causet motum. Motus primò primi ita vehementes ut evertant usum rationis, effectum secutum ab omni prorsus eximunt culpa. Motus pravi concupiscentiæ quos homo sentit & repudiat, non violant præceptum. *Non concupisces*, imò quia resistentem fatigant; vincentem coronant.

V.

ESse Ignorantiam, quæ excusat à peccato, esse ignorantiam quæ culpa non vacat, docent omnes Catholici, hac in re adeò severum se providit Lutherus, (b) *ut sententiam Scholasticorum de ignorantia invincibili excusante, falsam scriberet.* Non absimilis Jansenius: qui id ipsum *ut dogma fidei*, *& rem extra omnem Controversiam*, (c) tuetur. Ignorantia latissimè sumpta, est carentia scientiæ indebitæ, alioquin dicitur nescientia, si debitæ. Ignorantia quæ communibus naturæ & gratiæ auxiliis, est insuperabilis sive sit juris positivi, sive naturalis, adimit voluntarium, excusat à reatu peccati. Quia verò lex naturalis, non in tabulis lapideis, sed in corde scripta adeo præsens habetur, ut ex ipso Conscientiæ testimonio, cognoscatur, an ea violetur nec ne? ejusmodi ignorantiam tum quò ad prima principia, tum proximas conclusiones dari, negat Apostolus (d) hancce ignorantiam quò ad conclusiones magis remotas dari, satis monstrat dissensio Doctorum. Ignorantia vincibilis, ordinariis tum naturæ, tum gratiæ auxiliis superabilis, & consequens, quæ semper saltim indirectè volita est, efficiunt opus simpliciter voluntarium, quod cùm etiam fiat contra propensionem agentis, secundùm quid

(a) *S. Thomas Q.6. Ar. 1. ad 3.*
(b) *Error Lutheri in Cap. 12. Gen.*
(c) *Iansenius L. 2. de statu naturæ lapsæ C. 1.*
(d) *Rom: 12.*

quid involuntarium judicatur. Concomitans comitatur quidem actionem, sed non causat, posita tamen actio voluntati non displicet, ùt si die jejunii invincibiliter ignorans comedas carnes, resciens lætaris, nec voluntarium, nec involuntarium operatur.

VI.

NOn omnis libertas dicenda est actuum humanorum principium. Non libertas seu immunitas à peccato, quæ hominem facit sanctum. Non à miseria, quæ beatum. Non á coáctione, quæ spontè volentem. Porro libertas spontaneitatis est exemptio ab omni violentia contra voluntatis propensionem illata, competitq; ei omni, qui non coáctè sed spontè agit, eò sensu Pater Divinus liberè Filium generat. Sola libertas à necessitate est radix actus liberi, & exclusiva est omnis interioris necessitatis, tum *naturæ*, quæ est menti ingenita, invincibiliter voluntatem ad unum determinat, talis est in DEO se amante: tum *inclinationis adventitiæ*, quæ fit à motu accidentali, quô omnino voluntas ad aliquid propendit, sivè *immutabiliter* ùt contingit in Beatis, sivè *mutabiliter*, ùt in systemate, quod duas docet delectationes, Terrenam & Cœlestem, quæ successivè hæc ad malum, ista ad bonum, ineluctabiliter protrahunt, excludit deniq; necessitatem Physicam, quâ voluntas, ita unum vellet, ut aliud hic & nunc velle non posset. Circa libertatem hominis lapsi, idem multorum fuit error, non idem erroris principium. Stoici & Astrologi, actus voluntatis fato seu syderum influxui subjiciebant. Manichæi ex duplici, quam in singulis hominibus esse mentiti sunt anima, alteram bonam, quæ ad bonum, malam alteram, quæ ad malum necessario traheret, statim ùt altera alteri prævaleret. Vicleffistæ, Calviniani, Lutherani, ac Janseniani, ex efficacia gratiæ, tum Concupiscentiæ, quibus resisti nequeat, libertatis ruinam traxere. Iidem meritum & demeritum unà cum insuperabili ad unum determinatione subsistere pòsse crediderunt.

VII.

PRopositis necessariis ad intelligendum libertatis naturam, recensitis erroribus præcipuis, qui adversùs liberum arbitrium variis temporibus sparsi sunt. Quid circa illud tradiderint sinceri Ecclesiæ Doctores? quid Scriptura? quid unanimis hominum consensus? exponendum est. Placuit Supremo Cœli & Terræ Creatori nostros Protoparentes, ad Cœlestem felicitatem conditos, ornare omnibus,

tum intellectûs, tum voluntatis virtutibus, quibus perfectissimè nôsset, & facillimè pôsset, actuali tamen adjutorio donatus, sine quæ-rela DEO servire, affectus omnes referre, eosq; voluntati facillimè, voluntatem rationi, hanc æternæ legi, & Summo rerum omnium Arbitri imperio subjicere. A felici illo sanctitatis statu dilapsi, amiserunt quod donô, retinuerunt quod natura acceperunt, in voluntatis & intellectûs potentiis vulnerati, (e) non occisi in libero arbitrio, attenuati quidem, minimè extincti rebelles Concupiscentiæ motus contra rationem insurgere, carnem adversùs spiritum concupiscere experti, omnes suos posteros, in eandem secum traxere ruinam, quibus ad insinuandam penes se relictam eligendi bonum vel malum potentiam, dictum legimus: (f) *Timete DEUM, & servite ei perfecto corde - - - sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis? optio vobis datur eligite hodie quod placet.* (g) *Habet unus quisq; in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.*

VIII.

Liberi arbitrii nos condidit DEUS, (h) nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec damnatio, nec corona est. Jure merito ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ requiri libertatem à necessitate intrinseca, nec sufficere à coâctione definierunt. Innocentius X. Alexander VII. contra tertiam Jansenii propositionem; præiit S. Pius V. damnando 67. propositionem Baji. Igitur natura libertatis in genere, malè à Jansenio reponitur in solo voluntario, malè ab ejus discipulis, in indifferentia passiva constituitur, quam ex eorum gremio aliqui sub verbis in speciem Catholicis velantes, nomen indifferentiæ ad bonum & malum non abnuunt, etsi mentem illorum ingredi velis? sic tibi eam aperiunt: est capacitas voluntatis, quæ gratia intensiore ad bonum, vel motu concupiscentiæ intensiore ad malū insuperabiliter determinatur. Quinimo pleriq; eorum, qui apud Catholicos vellent bene audire, eandem indifferentiam activam vocitant.

IX.

Ex modò dictis naturam libertatis, prout DEO & creaturis rationali-

(e) *Concil: Trid: Sess: 6. C. 1.*
(f) *Josue C. 24.*
(g) *S. Aug: L. 2. C. 4. contra Felicem Manichæum.*
(h) *S. Hieron: contra Jovin: L. 2.*

nalibus competit non consistere in solo voluntario, sed ad eam essentialiter requiri indifferentiam contradictionis, eamq; activam concludimus. Hic quæri solet, an indifferentia contrarietatis pertineat ad essentiam libertatis? Novimus quod dixit Augustinus. (i.) *Prima libertas voluntatis erat posse non peccare novissima erit multò major, non posse peccare.* Novimus ex Sanctis Patribus liberum arbitrium esse illam eximiam perfectionem, secundùm quam homo ad imaginem DEI conditus est. Novimus etiam indifferentiam contrarietatis esse potentiam deficiendi, quam ideò ad naturam liberi arbitrii minimè pertinere credimus, etsi ad statum puri hominis viatoris spectare non dissentimus. Quædam aversamur, quædam prosequimur, non instinctu naturæ, ùt ovis, quæ fugit lupum, pascua quærit, (k) sed rationis judiciô indifferenter proponente voluntati, hoc vel illud eligendum, sive aversandum; unde non ambiguum proditur indicium, indifferentiam voluntatis ad hoc vel illud, ex rationis judicii indifferentiâ, ùt suâ radice emanare. Præterea ut voluntas defactò liberè eligat, opus habet judiciô practicô determinatè ei proponente hoc vel illud, hic & nunc eligendum: hoc experientia patet, cum Belarmino. (l.) Quia verò intellectus apprehensum objectum cum indifferentia semper proponat voluntati, fieri non potest, quin voluntas tendat in illud cum indifferentia. stante igitur indifferentia judicii in intellectu, fieri non potest, ut voluntas non remaneat libera.

X.

Actus moralis constituitur, proùt elicitur, consentaneè aut dissentaneè ad rectam rationem, non in solo ergo libero moralitas reponitur. Regula ex cujus commensuratioe moralitas desumitur, est recta ratio, una Increata in mente Divina existens, quæ Lex æterna dici solet, altera creata, quæ est intimatæ legis æternæ cognitio, judicans conformiter ad rationem increatam, quid sit simpliciter bonum aut malum. Duo hic inferimus: *1mo.* unica est propriè actus humani Regula, ipsa Ratio DEI. *2dò.* Bonitas Actus est conformitas cum eadem; malitia in opposita difformitate consistit.

XI.

(i.) *S. Aug. lib: de Corradded: & Gratia C. 11.*
(k) *S. Thom: 1. p. q. 83. ar. 1.*
(l) *Belarm: L. 3. de Gra: & libero arbitrio.*

XI.

TRia ſunt moralitatis principia, 1. *Objectum*, proût concipitur, conveniens, aut diſconveniens rectæ rationi, hoc quidem primariam in actus noſtros diffundit bonitatem, aut malitiam juxta id (m) *facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* 2. *Circumſtantiæ*, quæ ſpeciali voluntatem ferri faciunt in objectum modô, naturam rationalem decente aut dedecente, ſpecialem quoq; ei tribuunt moralitatem, quam infra eandem ſpeciem augent aut minuunt, proût magis vel minùs virtuti contrariæ, conſonæ aut diſſonæ rectæ rationi conſpiciuntur. Propriam itaq; moralitatem actibus tum internis, tum externis impertire; Viduæ pauperis in gazophilacium miſſa *duo minuta*, quæ à CHRISTO divitum ſummis præferuntur, ſatis comprobant. Aliæ circumſtantiæ, ita influunt in moralitatem objecti ut à Concilio (n) Tridentino dicantur ſpeciem peccati mutare, ideſt remanente eadem objectiva ſpecie, novam malitiæ ſpeciem conferunt. 3. Finis operantis, qui & motivum dicitur, propter quod voluntas actum proſequitur; hæc 4. præſtat: 1. ex objecto indifferente bonum vel malum. 2. ex actu malo pejorem. 3. ex actu bono malum unius malitiæ. 4. ex bono meliorem efficit. Hinc inferre licet unum eundemq; actum poſſe habere triplicem bonitatis, aut malitiæ ſpeciem, quam objectum circumſtantiæ & finis non raró impertiunt. At circumſtantia venialiter mala adveniens actui bono, non tollit ejus totam bonitatem, nec meritum delet. Actus externus proût eſt mera executio actûs interni non ſuperaddit bonitatem vel malitiam, in ordine ad præmium, vel pœnam eſſentialem, adjungit tamen in ordine ad præmium vel pœnam accidentalem.

De CONSCIENTIA.

I.

PRoximam Moralium operationum expoſituri regulam, quid de ea ſentiamus, præſto mentem aperimus. Regula hæc, eſt Conſcientia noſtra, ſeu judicium actuale practicum, dictans quid in particulari faciendum ſit ùt honeſtum; aut omittendum ùt inhoneſtum, quid fieri, aut omitti debuiſſet. Quod rectum eſſe nequit, niſi ad æter-

(m) *Oſeæ 9no.*
(n) *Seſſ: 14. C. 5.*

æternæ legis amussim, non mentis solùm apprehensione, sed re ipsa omnino conformetur. Si Conscientiæ inquiramus originem, à Divinæ lucis abysso veluti diffusum radium cernimus, atq; ad vultum animæ nostræ descendere, ibiq; resplendere experimur. Verùm ut Sol corruptæ terræ exhalationibus obtenebratur, ita conscientiæ nostræ serenitas, perturbatorum affectuum circumfusa caligine, turbulantis animi motibus obnubilata, adulatoriis ratiunculis inquam conscientia nostra decepta, præjudiciis malè partis imbuta, quæ nimis credula ex præcipitatione concludere solita, quæ debitam rerum notitiam posthabitans, ab indefectibili recedit regula. Hæc autem si remota: est lex æterna, si proxima: est intellectûs ratio, quæ conformiter ad legem æternam judicans, parit rectam conscientiam, contra quam 1. si est præcipiens bonum, vetans malum illicitum est agere. 2. si non definiat ratio gravitatem peccati, quamvis contingat levem esse pravitatem, ob temeritatem exponendi se se periculo mortaliter peccandi, non excusatur à gravi reatu. 3. non obstante intellectûs judicio de levi pravitate, dum re ipsa est gravis lethaliter contaminatur.

II.

ITa agens rationale obstringitur sequi dictamen suæ conscientiæ, ut etiam erroneæ dum modò error sit invincibilis obsequi tenetur, vincibilem nec sequi, nec contra eam agere potest, sed prudenter per media ad hoc idonea deponere ut sunt exacta discussio rei totius, consilium à viris doctis ac timoratis, humilis ac frequens oratio, solidorum librorum lectio. Hæc materia transit in obligationem Confessarii, qui ignorantiâ vincibili laborantem monere debet, & si spes emendationis non affulgeat, quinimò etiam invincibiliter ignoranti necessaria ad salutem, aut principia juris naturalis secundaria, eorum siquidem ignorantia invincibilis ob suspicionem malitiæ, quam inhonesta actio ingerere solet, evadet vincibilis, absq; proprio piaculo parcere nequit. Nec error licet invincibilis, qui in boni communis dispendium vergit, etsi non speretur monitionis successus, silentio est prætereundus. E contrario procedendum est cum laborantibus ignorantiâ invincibili, si eis monitio magis nociva, quàm utilis prævideatur.

III.

COnscientia dubitans negativè, aut positivè an sua actio licita sit,

vel

vel illicita, & nihilominus operatur, contaminat se peccato ejusdem speciei, & gravitatis, de quo dubitat. Quod si dubitet negativè & omnibus ùt decet ponderatis, nullum prudens detegat momentum, quô actionem illicitam esse constet, potest dubium suum ut pote malè fundatum deponere, & actionem exequi. Cùm Apostolus dicat: (o.) *Omne quod non est ex fide esse peccatum.* cùm regula juris clamet: (p) *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Conscientia de honestate actûs dubitans inter æqualem, vel penè æqualem momentorum posita vim, æquè ad unam, quàm ad alteram partem nolens volens per rectum judicium inclinata cum sit, unam ùt veram, alteri ùt falsæ præferri non potest sin autem præferat; non agit ex fide, nisi partem eligat tutiorem, & ab agendo abstineat. Hæc regula *in dubio melior est conditio possidentis,* non valet nisi in bonis temporalibus subjectis potestati humanæ, ad quæ cùm duo æquale videntur habere jus, actu ea possidenti, præfata regula à jure applicatur, at lex dubia de licito vel illicito non subjacet potestati humanæ, neq; enim par est causa DEI, Qui habet jus prælationis in omnibus, & creaturæ.

IV.

EX occasione legis obscuræ, quæ non rarò contingit, ubi agitur de licitate actûs, duæ maximæ sibi oppositæ emanarunt sententiæ: una & pondere rationum gravior, & tuendæ legis semper patrona, & à peccato magis removens, probabilior & tutior nominatur. Hanc ad rectè agendum ùt præceptivam regulam non pauci iiq; magni Nominis Theologi propugnant. Altera ùt comparata probabiliori, & in momentis rationum adeò non gravis, ut facile per motiva opposita elidatur, & à periculo violandæ legis non removet, cùm neget homininem ulla quæ hic & nunc obliget lege constringi, & solet vocari minus probabilis, libertati humanæ quidem favorabilior, sed minus tuta. Hæc sententia nondum conscientias invaserat Annô 1571. quô Antonius de Corduba. Quæstionarium suum Theologicum publici juris fecit, in quo asserit: *partem tutiorem esse tenendam, quando oppositæ sententiæ sunt, aut creduntur æquè probabiles,* & à fortiori, *quando una est probabilior alterâ,* & *in hoc omnes Theologi consentiunt.* Sed brevi favorabilis sententia ita radices egit, ut Salonius Annô 1592. palam asseruerit: *dimissa probabiliori posse eligere probabilem, ita sen-*

(o) *Rom. 14.* (p) *C. 12. 18. 24. de Homic.*

ita sentire multos. At non defuerunt permulti, qui mox animos calamosq; ad evertendum probabilismum converterunt. Et quia non minus malum est ab uno extremo ad aliud descendere, ita à sententia favente libertati recedimus, ut rigorosismum (quem illa doctrina constituit, quæ justi rigoris limites transilit) abhorreamus. Quid in hoc animorum conflictu sentiamus? prodant nos Concilii Viennensis Oecumenici verba docentis; tam parvulis, quàm adultis in baptismate virtutes infundi. *Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam duximus eligendam.* Non licet itaq; sine peccato sequi opinionem libertati faventem, & minus probabilem, in concursu opinionis alterius stantis pro lege, & simul probabilioris. Nec non ex duabus opinionibus, æquè probabilibus, quarum altera favet legi, libertati altera, ea teneri debet, quæ tutior seu pro lege est. In iis in quibus agens prudens tenetur ad media efficacia & tutiora adhibenda, obligatur sequi regulam tutiorem relictâ minùs tutâ, etsi probabilior appareat, neq; enim probabilior, mutat naturam rerum, aut eis efficaciam tribuit. 1. in iis quæ sunt de necessitate medii ad salutem. 2. ubi agitur de valida administratione & susceptione Sacramentorum. 3. ubi timetur damnum proximi sive corporis, sive fortunæ, aut boni communis. 4. in quo speciale præceptum constringit. At ubi agitur solùm de licitate actûs, licet sequi opinionem minùs tutam libertati faventem quæ post debitam inquisitionem veritatis probabilior tutiore reperitur. Ut autem opinio probabilior de licito teneri possit, relictâ tutiori de illicito, ne quaquàm sufficit qualiscunq; probabilitatis excessûs, sed requiritur notabilis, ità ut momenta opinionis minùs probabilis in conspectu probabilioris, tanquàm levia non ductu proprii amoris, sed sinceri desiderii adinveniendæ veritatis judicari queant.

De LEGIBUS.

I.

LEx quædam regula est & mensura actuum, secundùm quam conscientia inducitur ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Utile, imo necesse est leges dari & existere. Legi ut actu obliganti promulgationem essentialem esse probabilius censemus, opinionem docen-

tem ad valorem Legis acceptationem ex parte subditorum requiri rejicimus. Officia Legis præcipua sunt duo dirigere & obligare, effectus quinq; numerantur hoc Vsu expressi:

Præcipit, ac prohibet, permittit, punit, honorat.

II.

LEgitima est divisio Legis in æternam, naturalem, & positivam. Atq; hujus in Divinam & Humanam. Lex æterna latè sumpta est summa ratio quâ DEUS omnia regit strictè prout distincta ab Idea & Providentia Divina concipitur est actus Divinæ mentis dictans quid sequi, aut fugere debeat creatura cum voluntate eam obligandi coincidit cum eo (q) est reipsa ratio vel voluntas DEI ordinem rationalem conservari jubens perturbari vetans. Ab illa derivantur quæcunq; aliæ leges etiam naturales (si excipias ipsam naturam rerum) etenim *in temporali lege nil est justum ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi derivaverint.*

III.

EXistit vis quædam fortissima à DEO Menti Creatæ impressa imperativè dictans, quid sit faciendum vel omittendum ut consentaneum, aut dissentaneum Legi æternæ, & naturæ rationali. Hæc Lex in omnium cordibus signata ad quæ Isaias (r) Prævaricatores redire jubet, animis adeo ingenita, ut nec ignorari, nec deleri possit saltim quo ad prima principia & eorum proximas Conclusiones, quæ necessario derivantur à primis principiis totidem colliguntur præcepta.

IV.

NOn tam ex suppositione elevati hominis ad finem supernaturalem, quam ex hypothesi Synagogæ, aut Ecclesiæ præter legem naturalem, & humanam, necessaria fuit Lex Divina positiva, quæ dividitur: in veterem & novam.

V.

LEx vetus abroganda fuit, & defacto abrogata est, nihil etiam vetat asserere Legem priscam non modo quo ad præcepta cæremonialia atq; Judicialia, sed & moralia desiisse. Non desiit obligare ante mortem CHRISTI. Quinimo Lex vetus in ipsa morte CHRISTI

(q) *S. Aug. lib. 22. contra Faustum c. 27.*
(r) *Isaiæ 6.*

STI. Secundùm se abrogata obligare non cessavit mortis, & Resurrectionis tempore, sed paulo post simul ea lex Evangelica sufficienter promulgata fuit.

VI.

LEx à CHRISTO data, & ab Apostolis promulgata, quæ conjunctam sibi Gratiam supernaturalem habet, Lex nova, Lex Gratiæ non immerito nuncupatur. Cujus causa efficiens est Ipse CHRISTUS, & quidem Solus, Causa Materialis sunt præcepta tum moralia, tum cæremonialia, nulla verò Judicialia. Causa finalis justificatio hominis, sanctitas, ac æterna felicitas.

VII.

LEgem Humanam non inepte definiet, qui eam dixerit Præceptum commune, justum, honestum, perpetuum, ad bonum commune à gerente curam Communitatis impositum, & sufficienter promulgatum. Hinc altera est Ecclesiastica, Civilis altera. Utramq; circa ea etiam quæ jure Divino præcepta non sunt, & naturali permissa ita condi posse, ut Conscientiam obliget, testante scriptura: (s) *Subjecti estote omni humanæ creaturæ, propter DEUM sive Regi, sive Ducibus, quia sic est voluntas DEI.* (t) *Non est potestas nisi à DEO: - - ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter Conscientiam.*

VIII.

LEgum Civilium propriam materiam esse res temporaneas, ut Ecclesiasticarum res spirituales. Ut enim Regibus DEUS commisit Imperium quatenus sit Respublica bene ordinata quo ad temporalia, ita Principibus Ecclesiæ, ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit, ut populus Christianus salubriter regatur quo ad Spiritualia. Harumce Legum materia, debet esse justa, accommodata hominum conditioni verè moraliter possibilis, unde Legislator non potest ferre Legem, quæ nisi difficillimè servari possit, nisi id omnino exigat bonum commune.

IX.

OMnes & soli adulti, subditi, legibus Ecclesiasticis obligantur, hinc illis non tenentur pueri ante usum rationis, & perpetuo amentes, secus dicendum de ebriis & ad tempus breve delirantibus, sed an sicut non peccant infantes, qui ante rationis usum, Monialium Domos ingrediuntur, ita non peccent Moniales, & an sint immunes ab Excommunicatione. Hac de re consulti Cardinalis S. Severinæ Ma-

E 2 gnus

(s.) *ad Rom.* 13. (t.) *1. Petri* 2.

gnus Pœnitentiarius, atque Clemens VIII. responderunt, excommunicationem incurri ab iis, qui & quæ alterius sexus intra septa Monasterii infantes, recipiunt (u) à fortiori hoc locum habet in amentibus pubertatem nactis. Infideles nunquam baptizati, Evangelicis legibus, non verò Ecclesiasticis, baptizati autem ut Pseudo reformati utrisque subjacent.

X.

INdubitatum est, nullam propriè esse legem, quæ non obliget sub pœna vel culpa. Certum supponimus non omnem legem obligare sub mortali. Legem quæ de se ad bonum tendit malam; ob finem à Legislatore intentum, obligare censuimus. In dubio autem Legis, de justitia legis præsumendum est de Legislatore, ideo Lex Ejus obligat. Lex fundata in præsumptione periculi, semper obligat, & habet suum effectum, etsi id quod timeri poterat non evenerit.

XI.

DIspensatio sine causa illicita est, ei, qui concedit, & cui conceditur, valida tamen à Legislatore in propria Lege, vel ab ejus Superiore, vel æquali, invalida, si ab inferiore & Delegato in Lege Superioris concedatur. Minus tutum, minùsve probabile est inferiorem dispensare posse in quavis Lege, quam sibi superior expresse non reservavit. Non quæcunq; falsitatis expressio, vel suppressio veritatis dispensationem facit obreptitiam, vel subreptitiam, sed tunc solùm; cùm tacetur veritas, quæ jure- stylô, consvetudine debet exprimi, aut allegatur falsum pro causa finali, ob quam superior dispensare intendit; aliàs non. Cessante causâ motivâ sæpe sæpius, non tamen corruit dispensatio, quæ regulariter loquendo expirante concedente non expirat. Possunt Episcopi dispensare non modò in suspensionibus & irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio, ut statuit Concilium Trident: sed & in generalibus Ecclesiæ Legibus, sive sint de irregularitatibus, sive de votis Papæ reservatis, sive de impedimentis dirimentibus Matrimonii, cùm Rom: Pontifex nonnisi difficillimè adiri potest, & est periculum in mora, sive infamiæ & scandali, aut gravis alterius mali. An Confessarii privilegiati in prædictis casibus, & circumstantiis dispensare valeant? non improbabilis est sententia negans.

XII.

(u) *Comilitonus lib: 6. Moralium, Pontas V. Monasteri Cas:9 Sambovius Tom. 3.*

XII.

UT conſuetudo quam definit S. Iſidorus: *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, ubi deficit Lex*, vim Legis habeat, aut Legem abroget, rationalis debet eſſe, utilis, nec juri naturali Divinoq; Religionivè contraria, ſed legitimè præſcripta, continuata, per illud temporis ſpatium, quod ad legitimam præſcriptionem requiritur, decem anni ſcilicet; præter & contra Legem Civilem, 40. contra legem Canonicam, vel Eccleſiaſticam uſu receptam ſufficiunt. Induci debet per actus poſitivos, liberos, publicos, non interruptos, à majori & ſaniori parte communitatis frequentatos, ex animo & intentione ſe ſe obligandi. Demum adeſſe debet conſenſus Principis tacitus vel Juridicus. Cum his conditionibus conſvetudo Legem abrogat, & conſcientiam obligat, ſed conſvetudinem, etiam immemorabilem, abrogare poteſt Lex contraria ſubſequens. In Polonia Conſvetudo jejunandi ferias ſextas à Synodo Petricovienſi, annumeratur jejuniis de præcepto, igitur obligat etiam ad quantitatem. Hæc autem conſvetudo in aliquibus Poloniæ Territoriis vix non ex majori parte à multis annis ſublata videtur, in aliquibus seriò obſervatur.

XIII.

NIhil vetat dari Legem purè pœnalem, quæ nullatenus ſub peccato ſed ſolùm pœnâ obliget, ad eam nequit revocari lex tributorum, aut irritans, etenim illæ onerant conſcientiam. Ignorantia etiam inculpata Legis irritantis non impedit actûs irritationem, maximè ſi irritatio immediatè ob bonum commune lata ſit. Lex quæ ipſo facto actum non irritat, ſed præcipit irritandum, non obligat antè ſententiam Judicis, & effectus tenet firmitatem. In dubio an Lex merè ſit pœnalis, judicandum eſt eam eſſe præceptivam, niſi longè graviores rationes in contrarium pugnent.

De PECCATIS.

I.

USurpamus definitionem S. Auguſtini. Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem æternam. At non ideo peccatum eſt peccatum, quia pugnat contra Legem æternam, ſi nomine legis intelligatur, ùt ſolet intelligi, actus quo DEUS

judi-

judicat præcipitq; aliquid agendum, vel omittendum, secus si per Legem æternam intelligatur summa DEI ratio. Peccatum ideo peccatum est, quia repugnat naturæ rationali, quæ est participatio supremæ Dei rationis, unde nequit violari recta ratio, quin offendatur Ipse DEUS. Sensualitas seu Concupiscentia in se præcisè spectata, nec mortale, nec veniale probari potest esse peccatum. Peccati causam DEUM esse qui fingunt, nihilominùs iniquè quàm Lutherus & Calvinus agunt. Ad peccatum formaliter sufficere advertentiam interpretativam idest quod quis advertere potuerit, & debuerit, defendimus contra eos, à quibus videtur requiri advertentia actualis, vel dubium, vel scrupulus ad malitiam actûs. Sensit olim Jovinianus peccata omnia esse æqualia, cui exprobrat, ut & modernis hæreticis S. Hieronymus (v) Itaq; non omnia peccata æqualia, adeo ut mortalia à venialibus essentialiter differant, fide definitum credimus.

II.

Pœna mortali in quo quis decesserit peccato infligenda in æternum durabit, veniale licet per se non meretur sine fine puniri, in eó tamen quò ad culpam permanente cum mortali qui moriuntur, igne inextinguibili illôq; materiali in inferis etiam pro veniali puniuntur, eodem igne animas in Purgatorio pœnas luentes torqueri Scriptura innuit. (x) An peccatum sive mortale, sive veniale admissum tantùmmodò quò ad culpam in inferno puniatur in æternum? negans sententia probabilis videtur.

III.

Peccatum originale negarunt Pelagius ejusq; asseclæ Cœlestinus & Julianus. Inde quinq; capita hæresis construxerunt. 1mò. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non fuisset mortuus.* 2dò. *Peccatum Adæ ipsum solùm læsisse.* 3tiò. *Infantes nascuntur in eó statu in quo Adam creatus fuit.* 4tò. *Nec per mortem Adæ omne genus humanum mori, nec per Resurrectionem CHRISTI omne genus humanum resurgere.* 5tò. *Infantes non baptizatos habere vitam æternam.* Nimis se decesserunt, existentia enim peccati originalis certò constat ex scriptura & traditione. Hocce peccatum est ipsum Adæ peccatum toti ejus posteritati non ex natura rei, sed à libera DEI constitutione communicatum,

De BE-

(v) *Lib. 2, C. 17.* (x) *1. Cor. 2, V. 12.*

De BENEFICIIS.

I.

BEneficium: est jus perpetuum, authoritate Ecclesiæ constitutum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale. Ad Beneficium etiam simplex non possunt promoveri, præsentari, eligi indigni, quin promoventes graviter peccent, & cum promoto ad restitutionem teneantur. Si spectetur jus commune procul dubio Beneficia simplicia etsi, teuua exigunt residentiam ita omnes Theologi. Beneficia autem quibus annexa est animarum cura, residentiam exigere jure naturali, Divino, Ecclesiastico, qui novit eorum obligationes haud dubitare potest. Sunt autem justæ causæ à residentia excusantes: *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas.* (y) Qui tenet plura Beneficia tametsi simplicia, & cum dispensatione Papæ, & unum sufficit ad honestam sustentationem, exponit se periculo salutis, asserunt Theologi omnes cum S. Thoma. An exigit Beneficiarii sustentatio, ut in studiis consanguineos alat? alios dotet? asserere velim, nisi me deterreret B. Hieronymus. Quòd multi dum parentibus miserentur animas suas perdunt. Etenim Beneficiarii redituum merè Ecclesiasticorum Domini non sunt, sed Dispensatores, unde ex justitia tenentur, quidquid ex iisdem superflui habent in pios usus expendere. Qui sufficiens habent Patrimonium, possunt eò ad victum non uti, & vivere ex bonis Ecclesiasticis, dat hanc justam licentiam meritum laboris.

(y) *Concil: Trid: sess: 23. C. 1.*

A. M. D. T. O. M. G.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0026378